

raphago sexto Catechismi de promtam docet Scriptura sacra pluribus in locis, eamque confirmant Ecclesiae Patres, quorum testimonia facile apud Auctores invenientur; præsertim apud Barth. Medinam in introduct. ad 3. p. D. Thomæ q. 2. concl. 2. pag. 7. Theophilum Raynaudum tom. 1. pag. 20. à num. 43. Contensonum tom. 3. lib. 9. dissert. præambula cap. 1. spec. 1. Tournelium tom. 4. de Incarnat. quest. prævia, art. 2. & apud alios.

PRÆLECTIO XI.*De Nativitate Christi.*

ad expositionem cap. 4. primæ partis Catechismi Concilii Tridentini à §. 7. ad 10.

Mysterium à seculis absconditum, in novissimis temporibus manifestatum in carne, proponitur tertio articulo Symboli, ubi de Christo Domino dicitur: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* In quo explicando, *excedit quidem, multumque supereminet humani eloqui facultatem divini operis magnitudo:* & inde oritur difficultas fandi, unde adest ratio non tacendi, ait eloquentissime Leo Magnus (a). At cum in Christi nativitate tot sint loquela, atque sermones, quis poterit exaudiri tantam inter clamantium multitudinem? Quis vero, è contrario non effabatur ineffabilem Domini misericordiam, dum Deus ipse, multifariam, multisque modis loquens olim Pastribus in Prophetis, novissime loquutus est nobis in Filio? Dum Filius ipse divinus, atque humanus, multa

(a) S. Leo Serm. 9. de Nativ.

ta humanissime tacendo loquitur? Dum Spiritus Paraclytus linguis infantum facit dissertas? Dum Angeli vocem præstant Pastoribus, Sydus cælestis Magis? Dum denique militia cælestis canit: *Gloria in Excelsis,* & Apostoli totum per orbem hanc prædicant veritatem? Quis inquam chorum non ducet cum cælestibus, atque terrestribus musicis? Illis igitur adjungamur; sed ne falso tono canamus, divinum imploremus auxilium, Patris &c. Beatissimam quoque Virginem cum Basilio Seleucia deprecemur (a): „Ut per eam dignetur Omnis, potens mentem nostram illuminare, quo proposita res absque errore cognoscatur, cognita pte dicatur, dicta sine periculo, animo capiatur.“ Adsit etiam Angelicus Præceptor Div. Thomas, S. N. prototypus mei nominis, cum reliquis omnibus in cælesti Patri commorantibus, quorum juvamine fretus ordias diceret.

2. Exactiori methodo procedere cupientes, in expositione cap. 4 prima partis Catechismi Tridentini à §. 7. usque ad 10. orationem sic efformabimus: prius totam textus litteram in compendium reducemos; deinde fusius elucidabimus; postremo thema inde promemus, probabimus, propugnabimus; utnam feliciter! Pro primo ergo, en littera textus initium §. 7.: *Natus ex Maria Virgine.* Ecceque finem §. 10. Cum ea lectio Parochi in promptu sit. His quatuor paragaphis altera tertii articuli pars explicatur, nativitas scilicet Christi Domini; sive Pastoribus elucidandum, & ovibus credendum injungitur, Jesum Christum, nedum de Spiritu Sancto fuisse conceptum, sed etiam ex Maria Virgine natum. Quod quidem mysterium gaudio, & lætitia celebrari, Angelorum verba declarant Lucæ secundo; quoniam tunc in semine Abrahæ jam benedicebantur omnes gentes, & amplis-

(a) Basili. Seleuc. orat. 39.

plissimum illud Dei promissum Genes. 22. vers. 18. incipiebat impleri, dum Purissima Virgo Maria peperit Dei filium humana natura indutum; qua ideo verissime dicitur *mater Dei*; cuius miraculosam Conceptionem sequuta est miraculosa nativitas, in lucem prodiens, intacto matris utero, qui postea è sepulcro clauso surrexit, & ad discipulos clavis januis introiit. Deinde Christus comparatur Adamo, & Virgo Maria Eva, tum Apostoli auctoritate ad Rom. 5. & alibi; tum quia sicut ex primis illis propter peccatum mors, & omnia miserae provenient, ex ultimis propter justitiam vita gratiae, & bona cuncta dimanant. Quare Sanctissima Virgo inclusa non fuit in lege illa poenali Eva, aliisque mulieribus olim imposita pariendo cum dolore; sed sicut integra virginitate concepit, ita & peperit felicissime. Quod varii figuris, & vaticiniis jam fuerat adumbratum, ut porta Ezechielis, lapide Danielis, virga Aaronis, rubo Moysis, aliisque similibus, Conceptionem, & Nativitatem Christi Domini designantibus. Tandem hujus historia toto fere capite 2. Evangelii Lucas clare descripta, Parochis indicetur ad instructionem fidelium. Hæc est synopsis litteræ textus, & primum quod pollicebamur.

3. Pergamus ergo ad aliud: ad expositionem vide-licet litteræ delibatae, ex qua excitari possunt innumeræ quæstiones, physicae, medicae, scholasticae, dogmaticæ, polemicae, historicæ, chronologicae, ad hunc articulum recte intelligendum apprime conducentes, ut de virginitate, conceptione, & parte femina, de vera maternitate, & integritate Beatae Mariæ, de loco, anno, mense, die, aliisque partum Virginis, & nativitatem domini circumstantibus, qua à multis Auctoriis pertractantur. Verum, cum nec tempus praefixum, nec mea curta suppellex ad tanta sufficiat explicanda; ideo præcipua, & ad Catechismi scopum maxime pertinentia, qua potero brevitate proponam. Hoc ergo articulo in pri-

primis fatemur Christi conceptionem divinitus esse peractam, ejusque corpus à Spiritu Sancto in utero Virginis esformatum. Deinde ipsum Jesum Christum verum Deum, & hominem, post novem à conceptione menses, natum esse ex Maria Virgine absque jactura Virginitatis, quia ut ait August. serm. 213. *Operatus est Spiritus Sanctus; non homo maritus, qui fecundavit castam, & servarvit intactam.*

4. Hinc stolidi quidam refutantur Judæi, ac Ethnici, qui ab adultero milite, sive Pandira, Pantere, aut Pantera, nescio quo, Virginem opprimente; ac impii Ebionite, & Cerinthiani, qui à Josepho castissimo Virginis conjuge progenitum Dei filium blasphemarunt. (a) Reselluntur etiam Valentini, & Marcioniti, Christo tribuentes corpus è Coelo delapsum, non formatum ex Virgine. Repellitur & affinis hæresis Appellaristarum asserentium Christum non esse à Maria genitum, sed per illam, sicut transit per canalem aqua transisse. Expungitur & hæresis Basiliidis, aliorumque Phantasiastarum, qui nullum corpus Christo tribuerunt nisi umbratile. Cumque ille qui conceptus & natus est, idem ipse sit, qui præcedenti articulo dicitur Filius Dei unigenitus, etiam revincitur hæresis Nestoriana, & assertur Mariam vere, ac proprie esse Deigenitricem. Præterea affirmantes Filium Dei conceputum, & natum, non conversum in carnem, respuimus quoque nefaria dogmata Eutychetis; dumque proferimus: *Ex Maria Virgine*, ejus perpetuam virginitatem ante partum, in partu, & post partum, contra Helvidii aliorumque petulantiam profitemur; & ut paucis concludam: cunctæ hæreses, quas in universo mundo interemit Virgo Maria, aeternam pariens veritatem.

Tom. I.

T

ta-

(a) Vid. Theophilus Raynaudus tom. 1. lib. 3. sect. 2. cap. 3. num. 202. pag. 304. & Petrus Daniel Huetius in demonstratione Evangelica proposit. 9. cap. 9. num. 5. pag. 45⁸.

tatem , ut suaviter canit Ecclesia , hujus articuli fide
sepieliuntur.

5 Unde Beatissima Virgo filium concepit in utero ,
non in mente , non in corde , neque in pectore , ut
quidam pridem Bononiae ausus est prædicare , hoc di-
cens cuidam , eximia sanctitatis femina , qua ibi quasi
Sybilla quædam consulebatur , fuisse divinitus revela-
tum . Quan cautos nos esse oportet , ne à feminis , sub
specie pietatis , falsis revelationibus seducamur ! Non
fuit iste primus , neque postremus à fallaci sexu dece-
ptus . (a) Sed hujus insaniam tum Mantua , tum Roma
damnnavit tamquam hereticam , contra quam pulchre
scripsit Baptista Mantuanus opusculo de conceptione
Christi , & Cajetanus in 3. part. Div. Thomæ q. 31.
art. 5. teste Bartholomæ Medina ibidem , ac Eminentissi-
mo Lambertini (b) . Fuerunt etiam quidam Germani
nono seculo delirantes , Christum per tramitem , nescio
quem , è matris utero prodiisse , contra quos calumnum
acuit Ratramus Monachus Corbeiensis , edito de nativi-
tate libello , in quo tamen metam excessis videtur ,
& ideo à Paschasio Rabberto ejusdem Coenobii fuit
etiam impugnatus (c) . Alii antiquiores dixerunt Chri-
stum clauso quidem Virginis utero exiisse , at latere
matris aperto ; eos tamen carspit Damascenus lib. 4. de
fide cap. 15. post Chrysostomum hom. 49. in Gene-
sim , Nazianzenum epist. ad Celedonium , & Epiphani-
ni heresi 69. & 77.

6 Alii commenti sunt , momento temporis , dum
Christus prodiret , aperta fuisse pudoris claustra , sic
tamen , ut postea omnem matris integratatem sarciret ;
contra quos egregie declamavit Gotfridus Vindociensis
serm. 4. de Nativitate Domini . Gotfredus quodlibe-
to

(a) Vid. Amort. de revelat. part. 1. cap. 8. regula 17. pag. 147. & seq. ubi
ex Castaldo plurima tradit. exempla . (b) Vid. Bened. XIV. lib. 2. de Fest. B.
M. V. cap. 3. num. 19. & lib. 2. de Canonizat. SS. cap. 32. n. 8. (c) Vid.
Bibliograph. critic. Mich. à S. Josepho tom. 1. pag. 458. verbo *Extramus*.

to 7. quæst. 6. dixit Christum non fuisse natum trans-
seundo per medium , sed ab extremo in extremum ,
quod non videtur displicere Durando in 4. dist. 44.
quæst. 7. Joannes tandem Maironus in 3. dist. 4. q. unica
art. 6. & alii opinati sunt , Christum , illæsis virginibus
prodiisse , quod definitive dumtaxat , ut schola loqui-
tur , esset in utero , hoc est inextensus , sicut in Eu-
charistia. Inepte profecto ; sic enim Christi Corpus in
utero materno nec foveri , nec nutriri , nec augeri potuisset ,
nec ulla externa graviditatis signa in virgine matre com-
paruissent. Hæc ergo retulisse , jam refutasse fuit. Nam li-
cet conceptio Christi fuerit miraculosa quantum ad plu-
ra , non tamen quantum ad omnia , ut supra docuit
Catechismus §. 4. & idem dicendum est de ipsius Nati-
vitate. Naturale quippe fuit , Christum ex femina gene-
rari , supernaturale vero , id fuisse sine viri concursu ,
sed Spiritus Sancti virtutis ; naturale fuit , Christi cor-
pus in materno utero per novem menses foveri , nu-
triri , augeri , & inde postea egredi ; super naturale ve-
ro , id factum esse absque detrimento Virginis matris ;
naturale tandem fuit , Christum nasci parvulum , nu-
dum , &c. supernaturale vero , in ejus nativitate matrem
nullum sensisse dolorem , divinumque corpusculum
absque secundini , aliquæ immunditiis prodiisse.

7 Fatorc circa hoc ultimum divisos esse Thelogos , & scripture Interpetes. Doctissimus Serry exercitat. 29. à num. 6. cum aliquibus , tenet Christum in
sua nativitate fuisse secundini , aliquæ humanis faci-
bus circumdatum , tametsi hæ matris virginitatem non
laserint ; ejus vero discipulus eruditissimus Gravesonus
tom. 1. de myster. Christi dissert. 1. §. 2. in fine , Illus-
trissimus Perrimezzius p. 4. dissert. 215. assert. 2. à pag.
153. Eminentissimus Gotti (a) , aliquæ id negant , qui-
T 2 bus

(a) Vid. Gotti tom. 1. de verit. Relig. Christ. tract. 5. c. 7. §. 2. n. 20. pag. 318.
& Villuart. t. 3. in suppl. tract. de myst. Christi , diss. 3. art. 1. in fine , pag. 650.

bus et nos adhæremus , licet quæ pro prima opinione feruntur non sint penitus contemnenda. Sed hæc quæstio apud plerosque rudes , qui physicas sordes à moralibus maculis distinguere nesciunt , scandali ansam præbere posset , aut superstitione religionis ; sicut Græcis quibusdam celebrantibus festivitatem secundinarum secunda post Christi nativitatem die. Quod absurdum canone 79. damnavit Trullana Synodus , seu Quinsexta , anno 688. Constantinopoli celebrata. Vulgus enim indoctum modum non habet in rebus , sed vel excedit in superfluis , vel deficit in necessariis.

8 Quare missis inanibus , ut ait Basilius homilia 25. de humana Christi generatione , instruendi sunt fideles , juxta monitum Catechismi , Iesu Christi natalem fide divina esse credendum , & letitia celebrandum , quemadmodum Angelus Pastoris declaravit Luca 2. v. 10. dicens : *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Et militia coelestis suaviter canens solemnissimum illud canticum: *Gloria in excelsis Deo, &c.* Quia tunc Deus coepit implere , que olim Abrahamo promiserat Genesis 22. v. 18. his verbis: *Benedicetur in semine tuo omnes gentes terre.* Maria enim Dei mater sanctissima fuit ex semine Abrahæ , ex radice Jesse , ex extirpe David ; & similiter Christus Dominus , ut clare colligitur ex Sacra pagina , & invicte probant nostri contra Porphyrium , Celsum , Julianum Apostolam , et alios Christianissimi osores (a). Cumque ex Maria Virgine genitus , & natus fuerit Salvator mundi Jesus Christus Deus , & homo in unitate Personæ , quidquid blasphemet Nestorius ; ideo verissime dicitur Mater Dei. Quam omnino rem , quoniam in ultima orationis parte sumus latius explicatur , satis hic fuerit breviter attigisse.

9 Nunc litteram Catechismi sequamur , in qua §. 8. di-

(a) Vid. Villuart in fine tom. 3. tract. de myst. Christi, diss. 2. art. 2. Vasquez tom. 2. in 3. p. disp. 127. c. 1. & seq. aliisque.

dicitur : sicut Christi conceptio naturæ ordinem vicit , ita ejus nativitas naturæ leges etiam superavit , quoniam Mater virgo permansit , & partus dolores evasit. Non enim fregit nascendo Christus materna virginitatis sigillum , sed quemadmodum redivivus , è clauso prodiit monumento , atque postea clavis januis ad discipulos introiit , sic ex Maria Virgine natus est , absque reser ratione uteri virginalis. Ita luculenter evincitur ex Sacra pagina , Isaia cap. 7. v. 14. dicente : *Ecce Virgo concipiet & pariet , &c.* Quod de Virgine Deipara intelligendum esse , constat ex Matthai 1. v. 22. & ex Apostolica traditione , cuius testes sunt locupletissimi Sancti Patres. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. & Ser moni 138. de tempore. Gregorius Magnus homil. 26. in Evangel. Theodosetus dialogo 2. Maximus Tauriensis homil. 2. de Nativit. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 2. ut plures alios mittam , quos referre non est necesse. Nec obstat Corpus Christi redivivum fuisse incorruptibile , & gloriosum ; in nativitate vero mortale , atque passibile. Deus enim potuit , voluit , atque fecit , corpus sibi hypostatico unitum , adhuc passibile aliquando gaudere dotibus corporis gloriosi , ne dum in transfiguratione , sed etiam in ipsa nativitate , penetrando uterum matris. Quidquid mussent Bulingerus , Alesius , Beza , & alii rabulæ , quibus nimis crasse est philosophia , cum nolint , vel nequeant penetrare , à Deo fieri posse , ut corpora invicem penetrentur.

10 Si præfati hæretici Deum crederent Omnipot entem , facile assentirentur his veritatibus , quæ ab Ecclesia proponuntur , & suaderi etiam possunt exemplo solis penetrantis crystallum , & fulminis , quo dolia exhauriuntur intacts operimentis , nulloque relicto vestigio. Similiter aurum , æs , argentum , ac ferrum liquantur intus , sacculis ipsis nullo modo ambustis ; imo Martia Princeps Romana grava ða , partu examinato vi fulminis , ipsa citra aliud incommodum vixit. Ita Se-

neca lib. 2. cap. 31. Videri etiam potest Plinius lib. 2. cap. 51. nec non Boyle de efficac. effluviorum c. 15. & eloquentissimus Muretus in notis ad citat. Seneca locum, inquiens : „Fulmen in Palatum decidens ad mea us., que cubicula pervenit. ibi gladii, qui ad lectum unius eis famulis meis pendebat, mucronem ipsum ita collis, quefecit, ut in globulum converterit, vagina prorsus illæsa.“ Quorum effectuum rationem reddunt Ferrarius Minorita tom. 3. Philosophia part. 2. disput. 3. quast. 2. de meteoris ignitis, paulo post medium pag. mihi 135. atque Rosellius Ord. Praed. tom. 4. quast. 23. art. 2. pag. 316. num. 512. & maxime 515. Sicut igitur Deus tantam virtutem tribuit fulmini, & Soli, penetrandi alia corpora, potiori ratione majorem corpori suo contulit altissimum sol justitæ Christus, oriens ex utero Virginis absque lesione virginitatis, nec ullo dolore partus.

11. Eo portento, non servata modo Deipara, sed & aucta virginitas est. Quod Patres verbis amplissimis exagerarunt. August. aut quisquis alius serm. 10. de tempore ait : „Audiat omnis ætas quod numquam audierit: Virgo partu suo nupsit, virginitatem dum pareret duplicavit.“ Fulgentius orat. de laudibus Beatæ Virginis : „Crevit in ejus partu integritas corporis, potius quam decrevit; & virginitas ampliata est, potius quam fugata.“ Petrus Chrysologus serm. 142. „In tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas robusta, solidata virginitas.“ Sicque Purissima Dei genitrix semper virgo permanxit, ut docet Ecclesia, asserunt Patres, & fuse probant Theologi. Ad quod vide ri possunt Theophilus Raynaudus tom. 1. lib. 3. sect. 2. cap. 3. Marchantius in horto pastorum lib. 1. tract. 3. lect. 14. prop. 2. Serry prælect. 10. Berti tom. 3. lib. 26. cap. 1. aliisque innumeris.

12. Sed ne obliti loci, temporis, & aliorum, in singulariis Catechismi paragraphis enodandis nimium immo-

re-

remur, ad nonum nunc transeamus, ubi Christus comparatur Adamo, & Virgo Maria Evæ; quo amplius confirmantur dicta superius. Nam sicut primus Adam à Deo formatus est de terra virginea, nondum proscissa, aut opera hominis culta: ita Christus voluit de terra virginea, tamquam secundus Adam efformari: hoc est de Virgine matre, cuius maternum solum, & secretum numquam foret hominis opera temeratum, aut concupiscentia violatum. Et sicut primus Adam, Dei manibus plasmatur è limo: ita secundus Adam, Dei Spiritu formatur in utero. At vero, sicut Eva facta est ex Adamo: ita è converso Christus novus Adam ex Maria Virgine voluit generari; sicque ostendit Omnipotens quatuor modos producendi homines, nempe aut de viro, & femina, sicut assiduus usus demonstrat; aut nec de viro, nec de femina, sicut creavat Adamum; aut de viro sine femina, sicut efformavit Evans; aut de femina sine viro, sicut genitus est Christus Dominus: ut post Anselmum lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 8. observant D. Bonaventura in 2. dist. 18. q. 1. art. 1. ad 2. & D. Thomas 3. p. q. 31. art. 4. in fine corp.

13. Propterea Christus Genes. 3. v. 15. Spiritu liter vocatur semen mulieris, non vero viri, ut ponderat Irenæus; & à Davide Psalmo 131. v. 11. dicitur: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ubi notat Augustinus, Christum dici fructum ventris descendens ex Davide, non autem femoris, ait lumborum viri. Item apud Danielem cap. 5. appellatur lapis de monte abscissus sine manibus, hoc est de Virgine sine viri opera, ut Patres explicant. Ideo etiam de se ipso dicit: *Ego sum flos campi;* non horti; campus enim sine humano flore adminiculò, non seminatus ab aliquo, non fossus surculo; non saginatus simo. Sic Virginis alvus floruit, sic integra, & casta Maria viscera æterni viroris pascua protulere.

Cu-

Cujus pulchritudo non viderat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marcereret. Quod olim jam præsignabant porta Ezechielis, lapis Danielis, rubus Moysis, virga Aaronis, vellus Gedeonis, & alia apud Divum Bernardam super missus est. Sanctum Thomam à Villanova, concione 2. de Assumptione Virginis in fine. Thomassium lib. 2. de Incarnat. cap. 3. & alios supra laudatos.

14. Hic tamen advertere placet, Christum, & Beatam Virginem comparari Adamo, & Evæ solum quantum ad aliqua; nam similitudines non debent quadrare in omnibus; sic enim idem omnino essent, ut post Boetium, & Damascenum docet D. Thomas 3. p. q. 46. art. 4. ad 1. Unde per contraria potius attendi debent Christus, & Adamus, Beata Virgo, & Eva; cum dicat Apostolus: *Primus homo de terra terrenus, secundus de Cœlo cœlestis.* Et alibi: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Quod eleganter exponit Michael Perez, Ordinis S. Basilii in tract. Theolog. Biblic. ad verba Pauli; tom. 1. dub. 1. de nominibus Christi §. 34. n. 376. pag. 118. Eva quoque propter inobedientiam genus humanum perdidit; Maria illud obediendo reparavit; ideoque illa propter peccatum, partus habuit cum dolore, ista quæ peccatum nescivit, dolores partus etiam feliciter ignoravit, ut concors est Sanctorum Patrum sententia, & Christianorum omnium fides. Sic igitur natus est Christus Jesus ex Maria Virgine; cuius nativitatis historiam exacte describit Lucas in Evangelio cap. 2. fere per totum, ad quem Parochos remittit in littera Catechismus. Nos insuper, hic ex probatis Auctoribus quædam alia referemus.

15. Barradius existimat, divinum infans ex utero matris editum, humili positum, ut humilitatis præberet exemplum. Franciscus Lucas tradit, Virginem matrem suis manibus accepisse filium, veluti maturum ex ar-

arbore fructum. Suarez putat exceptum ab Angelis, fuisse Virginis traditum. Beata Birgitta scribit ipsum puerulum in suavissima matris suæ manus venisse. Quas opiniones refert à Lapide in cap. 2. Luce v. 7. citatus à Benedicto XIV. lib. 1. de fest. Domini cap. 17. n. 22. à quo etiam exsufflatur putidissima fabula obstetricis Maria Virginis, quam dicunt fuisse Anastasiam, cum hac tertio saeculo vixerit, & sub Diocletiano, martyrio coronata fuerit, teste Baronio in notis ad Martyrologium die 25. Decembris. Jam pridem similis fabula legebatur in apocrypho de ortu Salvatoris, ubi duæ ponebantur obstetrics ad partum Virginis, una nomine Zebel, altera Salome; quarum prima inviolatam reperiens matrem, exclamasse traditum, Virginem peperisse; alterius vero incredulæ illud tentare volentis, continuo exaruisse manum; sed jussu Angeli, tacto Jesu, statim sanitatem recuperasse. Hoc autem totum sapit Æsopum. Concludamus itaque cum Hieronymo adversus Helvidium cap. 4. scribente: *Nulla ibi obstetrix, nulla mulierularum sedulitas intercessit: ipsa pannis involvit infantem, ipsa & mater, & obstetrix fuit.* Plurimas alias questiones historicas hic excitari solitas prætermittimus, videndas apud Sandinium, Serrym, Perrimezzium, & alios, qui ex professo hac de re pertractarunt.

16. Circa annum, quo Christus natus est, à mundi creatione, adeo multæ, ac varie sunt Auctorum opiniones, ut Michael Mæstlinus Mathematicus, & Chronologus non incelebris, apud Vallemontium in elementis historiæ tom. 1. lib. 1. cap. 3. & Benedict. XIV. lib. 1. de fest. Domini cap. 17. num. 44. centum triginta duas enumeraret. Circa centum, & quinqaginta esse, inquit Michael à S. Joseph. in Crisi de Critices arte, art. 16. Et ad tercentas protrahit Pellererus apud Antonium Arbiolum in prologo libri Virginis de Columna. Quod præcipue oritur ex varieta-
Tom. I. te

se textus hebraici, cum quo Vulgata editio converit, & Graeca versionis septuaginta Interpretum. Licet tam in iis, qui septuaginta sequuntur, quam in aliis sequentibus Hebraica exemplaria, & versionem Latinam Vulgatae editionis, adhuc lis magna reperiatur. Ex primis Graecam Septuaginta sequentibus, nullus excedit numerum annorum 5904 ab orbe condito, usque ad Christum natum, nec descendit nisi ad 5054. Ex ultimis, qui plures numerant, ponunt 4330. & qui pauciores 3705. juxta Ricciolum in Chronolog. reformat. tom. I. lib. 7. cap. 2. & 3. citatum à P. Thoma Vincentio Tosca tom. 5. tract. 5. de Mundo, Cœlo, &c. proposit. 6. pag. 20. & 21. Ab his omnibus excipiuntur Alphonsus X. Hispanie Rex, qui in suis tabulis posuit annos 6984. et quidam Regiomontanus in tabulis Joannis Mulleri apud Bibliographiam Criticam t. 4. pag. 299. Verbo *Tabula Alphonina*. Videatur etiam Sextus Senensis lib. 5. Bibliotheca Sancta annot. 68.

17 Tot inter opinionum tenebras, annorum dies obscuros, & caliginosas noctes, quo plures Auctorum Iucernas aspicio minus video, tamque discerno aperitus, quam clausis oculis. Si quis luna fuerit, vel aquila volans, talpas, ac testudines non irrideat; legatque, si velit, canonem Chronologicum Gravesonii in fine tom. 2. de Mysteriis Christi, & spisum caput secundum libri 29. tom. 3. Cl. Berti, aliosque ibi citatos. Nos cum laudato Tosca præcius epochas adducemus, ab initio mundi usque ad nativitatem Christi.

Juxta Vulgatam.

<i>Juxta 70. Interpret.</i>	
Ab initio mundi usque ad finem diluvii...	1656.....2256.
inde ad reprobationem Abrahæ.....	506.....1357.
hinc ad exitum Israëlis ab Ægypto.....	430.....430.
ab exodo ad fundat. Templo Salomonis.....	580.....580.
fundatione Templi ad Captivit. solutam.....	476.....476.
à Captivit. soluta usque ad Christum.....	536.....536.

Ex quibus conficitur somma.....4184.....vel.....5634.

Communius tamen solum 4000. anni numerari solent

ab

ab orbe condito usque ad Christum natum (a). Sed hactenus dicta pro expositione textus, & secundo à nobis promisso sufficiant.

18 Ad ultimum itaque deveniamus, in qua hanc proponimus conclusionem: *Beatissima Virgo Maria vere, & proprie dicitur mater Dei*. Ita Catholicæ omnes contra Photinum aliosque infandos errores, Christum Deum esse negantes; ac etiam contra Nestorium blasphemantem, duplicum fuisse in Christo personam, divinam scilicet, & humanam, hancque solam esse ex Virgine natam: ideoque Mariam Virginem tantum vocatam *Christotocōn*, seu Christi matrem, non vero *Theotocōn*, seu Deigenitricem: utrumque tamen falsissime; cum in Christo unica dumtaxat persona divina, nullaque humana subsistat. Sicque Christus in sacra pagina vocatur filius Dei, non adoptione, ut contra Felicem Urgelitanum, & Elipandum est definitum, & jam supra docuit Catechismus §. 5. hujus capituli; sed nativitate, generatione, natura. Hunc factum ex semine David secundum carnem, ut ait Apostolus ad Romanos 1. v. 3. enixa est virgo mater, ut Evangelista testantur, & prædicterat Isaías à nobis superiorius memoratus: ergo Maria Virgo vere dicitur Deigenitrix, non minus quam quilibet alia femina mater dicitur filiorum, quos genuit, atque peperit.

19 Idipsum docet traditio Patrum. Justinus martyris in apologetico, Ignatius in epist. ad Ephesios, Hippolytus apud Theodoretum, Cyriillus Hierosolymitanus Catechesi 12. & præcipue Alexandrinus Nestorii malleus, aliique apud Auctores videndi. Audiatur solummodo Nazianzenus orat. 51. *Si quis, inquit, Sanctam Mariam Deiparām non credit, extra distinctatē est,* à quo idem protulit Damascenus lib. 1. de Ortu Vir-

V 2

gi-

(a) Vid. Roselli tom. 3. Philosophie q. 1. art. 7. pag. 38. & 39. n. 81. nota 8. & plures ali.

ginis. Hanc veritatem definiunt etiam plurimæ Sy-nodi, maxime Ephesina, tertia ex Generalibus. Quod est observatione dignum. Nam prima, & secunda Synodus Generalis pugnavit, ut ita dicam, pro Domi-no; tertia vero pro domo Domini. Nicæna enim tutata est honorem Patris, & Filii, contra blasphemum Arianum. Constantinopolitana prima honorem Spiritus Sancti aduersus impium Macedonium: Ephesina honorem Beatae Mariae Virginis contra procacem Nestorium. Sic divina providentia disponente, ut intelligamus, post Trinitatem Sanctissimam, & Christum Dominum, colendum esse Purissimam Virginem, quæ per hoc quod sit mater Dei habet quandam dignitatem infinitam, ut ait Doctor Angelicus ¹ p. q. 25. art. 6. ad 4. Merito igitur fideles omnes se pessime illam invocant oratione ista: *Santa Maria mater Dei Crux*. De cuius origine agunt Cl. Mabillonius in prefat. ad. sec. 5. Benedict. n. 123. & doctissimus quidam re-tentior Sacri Ordinis Sanctissima Trinit. in hist. B. V. de Texeda, hispano sermone nuper edita. (a).

20. Objetet autem aliquis pro Nestorio: Christus non dicitur creatura, ne conveniamus cum Arianis, qui eum dixerunt minorem Patre, nedum ratione humanae naturæ, sed etiam ratione Personæ; ut docent Theologi cum D. Thoma ³ p. q. 16. art. 8. & D. Bonaventura in ³ dist. ¹¹. art. ². q. ¹. Ergo pariter Beata Virgo voganda non est mater Dei, ne conveniamus cum Collyridianis eam dicentibus esse Deam, quod sequeretur, si esset Dei mater, cum matres sint filiis consubstantiales; ideoque Gentiles Cybelem diviniti honoribus prosequabantur, quia dicebant matrem esse Deorum, à quorum errore longius recedemus, ne-

(a) Vid. Cl. Mabillonius in prefat. ad sec. 5. SS. Benedict. n. 123. pag. 58. & doctissimus Ant. Gaspar Vermejo, Ord. SS. Trinit. in hist. Sanctuarii Virginis de Texeda, lib. 2. diss. 2. pag. 301. & seq. hispano sermone Ma-trici edita anno 1779.

gando Virginem esse Dei matrem. Præterea; Maria Vir-ginē non genuit divinitatem Christi: ergo non est ma-ter Dei; sicut non esset mater hominis, si humanita-tēm non generasset. Tandem: si Virgo Maria posset appellari mater Dei, mater ipsius Anna etiam appellari posset avia Dei; sed hoc non est dicendum, cum Romæ damnatus fuerit liber Joannis Thomas à Sancto Cyrillo, inscriptus de laudibus Divæ Annae matris Deiparae, dignæ Verbi incarnati avia: igitur Virgo Ma-ria nequit appellari Deipara.

21. Respondeatur ad primum, magnum interveniente discrimen inter hanc propositionem: Christus est crea-tura; & istam: Beata Maria est mater Dei. Prima enim absolute est falsa, vel saltē inducere potest in sus-picionem erroris. Secunda vero verissima, & nullo mo-do nos ducit in errorem credendi Virginem esse Deam; tum quia ipsa ratio naturalis dictat, non dari Deos, nec Deas, sed unicum tantum Deum; ipsumque nec marem esse, nec feminam, sed spiritum purissimum; tum quia fideles affatim instruunt conceptionem, & partum. Virginis fuisse supernaturalem, Spiritus Sancti virtute. Accedit hæresim Arianam tam late, ac subtiliter grassatam esse, ut dixerit Hieronymus: *Inge-muit totus orbis, & Arianum se esse miratus est*; nec adhuc prorsus extincta manet, cum Sociniani, aliisque ex Novatoribus eam perversè teneant; ideoque ne cum illis, vel in vocibus convenientiam, cautissimi esse debemus. At vero hæresis Collyridiana tam debilis, & stolidæ fuit, ut vix aliquem, nisi quasdam mulierculas Arabes dementaverit. Ab ethnicorum etiam errore toto cœlo distamus, ut apposite ait Isidorus Pelu-siota lib. 1. Epist. 54. Ubi discrimina multa refert in-ter turpissimam Cybelem, & purissimam Virginem; siquæ ut ab eorum deliriis longius recedamus, negare oportet Mariam Virginem esse Dei matrem, ita etiam ad longius recendum ab atheismo amplectendus erit

polytheismus, vel è converso. Quam animis verum est stultos, unum volentes vitare vitium, in contraria ruere!

22 Ad secundum acutissime respondet Cyrilus Alexandrinus Epist. ad Monachos, dicens: Mulieres eti animam rationalem non gignant, cum totum animal patiant ex anima, & corpore constitutum; non solam ejus partem peperisse dicuntur. Si ergo pariter licet divinitas Christi non fuerit ex Virgine genita; quia tamen in ea, & ex ea carnem assumxit Basilius Dei, ideo etiam vere dicitur filius Virginis, & ipsa Deigenitrix nuncupatur. Ad ultimum respondemus cum eruditissimo Berti tom. 3. de Theologicis disciplinis lib. 26. cap. 14. in fine, Beatam Annam Virginis matrem, posse Catholico sensu vocari Salvatoris nostri Aviam, eti magis expediat ab hoc vocabulo abstinere, ne Christus natus videatur carnali propagatione, ad instar ceterorum hominum; idem esto iudicium de Baptista, quem dicere non debemus consanguineum Dei, & sic de aliis: unde consuetudo Ecclesiae, teste Divo Thoma, *semper in omnibus est annulanda* (a).

23 Liber autem ille Joannis Thomæ à Sancto Cyrillo ideo proscriptus est, quia plura continebat malesonantia, & pravum sensum habentia, ut Beata Annae cognationem esse divinam, ipsam esse socrum Spiritus Sancti, concurrisse ad unionem hypostaticam, & similia. Non igitur ideo damnatur quod dicat Sanctam Annam esse Aviam Dei. Nec ex proscriptione unius libri cuncta ibi contenta damnantur, alioquin ortus, & infantia Salvatoris quid falsum essent, atque damnatum, cum à Gelasio Papa plures apocryphi sub illis, & similibus titulis damnati sint; de quibus late Calmetus tom. 2. dissert. in Evangelia ap-

(a) D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 12.

-erypha pag. 40. Nam ut Augustinus ait q. 2. in Evang. cap. 40. Nulla est tam falsa doctrina, que non aliqua vera intermisceat. Sicut, non potest malus in omnibus malus esse, ut inquit Chrysostomus citatus can. 48. de Poenit. dist. 3.

PRÆLECTIO XII.

De Passione Domini,

ad expositionem cap. 5. primæ partis Catechismi Concilii Tridentini, à §. 1.
ad quartum.

1 Luctuosissima hodie scena oculis nostris objicitur, charissimi auditores, Christus scilicet passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. In qua, ut ait Augustinus tract. 117. in Joan. n. 3. Si spectet curiositas, grande spectaculum; si spectet impietas, grande ludibrium; si spectet pietas, grande mysterium. Hoc ergo grande mysterium pietate spectandum exhibet Catechismus Concilii Tridentini prima parte cap. 5. agens de quarto articulo Symboli, mihi hesterno sole, ad exponendum, pro themate designato. At, cum imbecillitatem meam agnoscam, & sufficientiam solum ex Deo esse; ideo ad ipsum supplex confugio, & per mediatorem nostrum Iesum Christum pro nobis in cruce passum, divinam opem imploro.

2 Dei, coelitumque auspiciis, vestraque, consesores amplissimi, benevolentia fretus, quatuor priores paragraphos capituli 5. primæ partis Catechismi Concilii Tridentini exponendos aggrediar, quod ut rete, atque ex ordine fiat, orationem in tres partes proponam. Prima enim, litteram textus breviter deli-

babo. Secunda late discutiam. Tertia denique, nondum elapsu tempore praeinito, conclusionem ex textu deproman, probabo, defendam. Totum spero forte feliciter, si mihi Numen assistat: fac ergo, Deus, ut ne nos spes nostra fallat; quoniam in te solum ipsa refunditur.

3 Primam ergo partem exordiens, sic incipit littera textus §. 1. *Quantum habeat necessitatem, &c.* Ita vero desinit §. 4. Qui pendet in ligno. Mens Catechismi in praesenti est agere de lugubri passionis Christi mysterio, quarto Symboli Apostolorum articulo comprehenso; sicque §. 1. assert necessitatem fidei hujus articuli, admonendo pro more Pastores, ut ipsum sepiissime fidelibus explicent. §. 2. docet Christum tulisse acerbissimos cruciatus. §. 3. sit in Symbolo tradit sub quo Iudea Praeside passus est Christus, ut clarius innoscatur tempus Dominicæ passionis, cuius fides adeo est hominibus necessaria. §. 4. & ultimo ex sortitis, asserit Catechismus, divino consilio factum esse, ut Christus moreretur in cruce, quia secundum erat, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & ob varias congruentias, quas afferunt Sancti Patres. En totius littera argumentum, & primam orationis partem.

4 Ad secundam igitur transeuntes, insignem ingreditur provinciam, vastissimum, bonaque frugis uberrimum campum, ubi si falce dextere utamur, superabundanti incremento metere licebit. Ne autem nimia complectentes, pauciora capiamus, textus litteram sedulo inspiciemus, commentabimur, atque tuebimur. Incipit itaque Catechismus hoc caput à necessitate fidei quarti articuli Symboli, scilicet: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus;* dicens ab Apostolo nos doceri quanta sit necessitas cognitionis hujus articuli, dum 1. ad Corinth. 2. testatur se nihil aliud scire nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Quod maxime attendendum est in Apo-

sto-

stolo illo, qui raptus ad tertium Coelum, vidit arcana Dei; sed quia tam mirabile Dei arcana, & magnum pietatis Sacramentum est Passio Christi Domini, ut ex ejus fide salus humani generis pendeat; ideo dicit Paulus, se hoc unice scire; quasi cuncta alia huic mysterio comparata, nihili sint reputanda, vel saltem hoc dirigenda. Quapropter summa cura illustrandus est hic articulus, ut ejus commemoratione, ad Dei erga nos amorem, & bonitatem contemplandam jugiter excitemur.

5 Hunc ergo articulum in duas partes dividit Catechismus, quarum prima continet ista verba: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus: Secunda vero, se-
quentia, nimirum: Mortuus, & sepultus.* De prima nunc prius agit, quinque prioribus numeris, docens fidem praesentis articuli in eo sitam esse, ut credamus Christum Dominum, à Pilato pro Romanis Iudea Praeside, captum, irrisum, variisque injuniarum, & cruciatum generibus affectum, demum in crucem sublatum esse. Articulus iste fidei, Iudeis est scandulum, sed fidelibus aedificatio, Gentibus stultitia, sed Ecclesia sapientia; Hereticis error, sed Catholicis omnibus veritas inconcussa. At missis modo Iudeis, & Ethnicis, quorum infidelitas jam refutata manet duobus articulis precedentibus; nunc adversus hereticos dimicabimus, qui Christum passum, & crucifixum inficiantur: vel quia corpus phantasticum ei tribuunt, ut Saturninus, Gnostici, Manichei, & alii; vel quia loco Christi crucifixum fuisse dicunt Simonem Cyrenum, ut delirarunt Basilides, & Marcion; vel Christi umbram, aut Judam Iscariotem, ut finxit stupidi Mahometes; vel tandem quia perperam opinantur Christum semper habuisse impassibile corpus, ut Gainitus apud Divum Thomam, Julianus Halicarnassensis, Justinianus Imperator, & alii (a).

Tom. I.

X

Con-

(a) Vid. Sextus Senens. t. 2. l. 5. an. 186. p. 669. Bart. Durand. In fide vind. & alii.

6 Contra quos omnes, certa fide tenendum est cum Catechismo, Christum passum fuisse, & cruci affixum acerbissimos sensisse dolores. Nec ullus circa hoc restat dubitandi locus, cum Verbum divinum eamdem naturam assumserit, quam nos (excepta culpa) induimus, ut ex antecedenti articulo Symboli liquet; ideoque, jam ab initio sua conceptionis, eos habuit corporis, animique defectus, qui ex Adam peccato ipsam naturam humanam comitantur, Christumque minime dedecabant. Ipse enim in utero Virginis, quantumvis purissima, sensit loci angustias, sensit, & alia plura incommoda, quæ nos non percipimus, quia nec rationis usum, nec expeditos sensus habuimus (*a*); sensit post nativitatem, temporis intemperiem, circumcisionis dolores, peregrinationis molestias, Pharisæorum injurias, &c.

7 Sed hæc omnia, respectu eorum, quæ Christus in passione sustinuit, minima sunt judicanda; quando scilicet fuit à Juda proditus, mœrore pene confessus, à Judæi captus, à Pilato casus, ab Herode illusus, & tandem in crucem sublatus; quæ omnia accurate describunt Evangelista, & longe antea prædixerant Vates. Dicere autem cum hereticis, hæc omnia fuisse in corpore phantastico facta, sicut dicta solummodo, & apparentia, tam falsum, & fictum est, quam corpus, quod ipsi fingunt. Verba enim sacra paginae sunt stricte accipienda, præsertim dum historiam referunt, ut cum Divo Augustino sentiunt, qui recte sentiunt (*b*); alias actum esset de vero Scripturæ sensu; atqui in sacra pagina nihil expressius inventitur, quam Christum esurisse, sitivisse, fatigatum fuisse, tantaque sustinuisse, ut à calce, usque ad verticem, non inventa fuerit in eo sanitas, non species, neque de-

(*a*) Vid. Venerab. Fr. Thomas à Jesu labore 2, à pag. 54. (*b*) August. lib. 3. de Doctr. Christ. c. 10.

decor: unde vir dolorum antonomastice nominatur, quoniam, Isaia teste, *langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*: igitur heretici, & quicumque passionem Christi non credunt, in meridiana luce cæciunt. Quare Tertullianus lib. de carne Christi cap. 9. Marcionem acute perstringit his verbis: *Quid dicas celestem carnem, quam unde cœlestem intelligas non habes? Esurii sub Diabolo, sitiūt sub Samaritide, lachrymatur sub Lazaro, trepidat ad mortem, sanguinem fundit.*

8 Et non solum in corpore, sed multo magis in anima, passus est Christus Dominus. Propterea dixit Matth. 26. & Marci 14. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quod multo antea innuerat Regius Prophetæ Psalmo 87. in persona Christi dicens: *Repleta est anima mea malis.* Quem locum explicans Augustinus ait, intelligendum esse de malis peccata, non culpa: unde Christus tristem dicit habere animam, quia doloribus oppresæ carni compatitur. Tam acerbi autem fuerunt Christi dolores, ut per Jeremiam dixerit: *Attende, & videte si est dolor similis, sicut dolor meus.* Quod optime probat Divus Thomas 3. p. q. 46. art. 6. dicens: „In aliis patientibus mitigatur tristitia interior, & etiam dolor exterior ex aliqua consideratione rationis, per quamdam derivationem, seu redundantiam, à superioribus viribus ad inferiores; quod in Christo paciente non fuit, quia unicuique virium permisit agere, quod est sibi proprium.“

9 Hinc, nec divinitas humanitati conjuncta, nec visio beatifica, qua Christi anima fruebatur, fuerunt impedimento intensissimis doloribus corporis simul, & anima. Non divinitas, quia ut optime ait Catechismus, quod in Christo erat passibile, atque mortale, nempe natura humana, tale permanxit, & quod impossibile erat, ac immortale, qualcum esse naturam di-

vinam intelligimus, suam proprietatem retinuit. Non visio beatifica, quia gaudium ex ea proveniens, non descendebat in inferiorem partem anima Christi, sed solum in superiori sistebat; sicutque gaudium, & tristitia inveniebantur in eadem anima, sub diversa ratione, eo sane miraculo, quo Christus erat viator, & comprehensor. Scio Illustrissimum Melchiorum Canum, & quosdam alios à doctrinissimo Serry citatos c. 8. vindictiarum Cani, & exercitatione 59. in vitam Christi n. 6. asserere, Christum in passione sua cohibuisse letitiam, quæ necessario ex clara Dei visione fluxisset, sicut cohibuit gloriam animæ, ne in corpus redundaret. Sed contrarium sentiunt alii fere omnes Theologi cum Divo Thoma 3. p. q. 46. art. 8. & alibi.

10. Dicet autem aliquis, quomodo Christus in horto timuit? Quomodo tristatus est, & in agone positus dixit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste?* Cum Petrus dixerit: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Cum Paulus cuperit dissolvi, & esse cum Christo. Cum denum martyres latè animo morerentur pro Christo. Respondetur, non sine mysterio id factum esse, ut probaretur duplicum fuisse in Christo naturam, & timere, turbari, mortemque recusare, ut hominem, ratione humanitatis accepta. Petrus vero dum animam pro Christo posuit iussu Neronis, sicut & Paulus, & ceteri Martyres, dum constantes, atque gaudentes tormenta sustinuerunt, totum tribuendum est divinitati Christi, propter quem necabantur. Nam sicut Deus in efformatione Eve, eam roborabit osse Adami, & hunc enervavit, ut ita loquar, replendo carne locum extracti ossis, seu costæ; ita, inquit Augustinus, Christus roboravit Ecclesiam virtutem divinitatis, & ipse debilitatem carnis accepit. Quare apposite, ait Chrysologus Serm. 5. in Dominicam 18. post Pentecost. Christum venisse suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes; si-

mi-

milia tenet Leo Magnus, Serm. 7. de Passione (a).
11. Ex dictis satis probatum manet, Christum Dominum veros corporis, & animæ sumsisse defectus, non tamen omnes. Licet enim S. Leo epist. 10. ad Flavian. & sermone de Nativit. Domini dicat, Christum cunctas sumsisse infirmitates nostras, demto peccato, intelligentus est de defectibus illis, quos sumere congruebat ad redemtionem hominum, & ad probandum verum habere corpus, & animam; ideoque solum eos summis corporis, animaque defectus, qui ob peccatum Adami, toti naturæ convenientiunt; defectus autem illos, qui ex singularibus causis, & plerumque ex hominum culpa proveniunt, ut lues venerea, febres, aliaque hujusmodi, quæ indecora videntur, Christus sumere noluit; quamquam sine culpa contingere possint, ut fortassis de Sancto Job, scribit in quadam dissertatione Calmetus: Unde nulla fuit umquam Christo infirmitas. Quare cum orator quidam incautus, è suggestu dixisset, Christum morbis fuisse vexatum, jesus est ibidem palinodiam canere, ut testantur Bartholomæus Medina, Mathias Aquarius, aliique Auctores.

12. Verum contra hucusque dicta plures militant Patrum auctoritates, qua Passionem Christi videntur evertere. Augustinus enim super Psalm. 21. ait, Christum non vere timuisse, nec vere tristatum esse. Hieronymus super cap. 26. Matthai: „Erubescant inquit, qui putant „Salvatorem timuisse mortem, & pavore passionis dixisse: *Pater, si possibile est*“ &c. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum de corpore Christi, sic habet: „Virtute continebatur, & tamen comedebat, ne phantasticum putaretur; ipse autem Christus, ut semel dicam impossibilis erat.“ Tandem Hilarius Pictaviensis, pluribus in locis docere videtur, Christum non sensisse dolorem. Sic super Psalm. 68. & 138. sed Clarius lib. 10. de Trinit. num. 23. cuius verba refert Magis-

(a) Vid. Natal. Alexand. in exposit. hujus art. §. 5. in fine.

gister Sententiarum in 3. dist. 16. quibus aperte dicit, quamvis Christo inflicti fuerint ictus, atque illata vulnera, non ei passionis impetum intulisse, quemadmodum telum aquam perforans, ignem excindens, aërem vulnerans, qua dolorum percipere nequeunt.

13 Respondetur tamen Augustinum, & Hieronymum solum excludere à Christo timorem, qui vocatur à Theologis *Passio*, pervertens rationem, & turbans animam, non vero timorem illum, quem *propassionem* dicunt, designantem motum animi ordinatum, ac rationi subjectum. Ad Clementis Alexandrini auctoritatem, sunt, qui respondeant, eam nullius esse roboris, quia illius opera ab hereticis suspicantur corrupta, vel aliounde errores plurimos continentia; quapropter apocrypha declarata sunt à Gelasio Papa in Concilio Romæ habito anno 494. Quia tamen contrarium tenent alii, ut Franciscus Porter doctissimus Minorita, Patres Bollandiani, & sapientissimus Nicolaus le Nourry Benedictinus Congregationis S. Mauri, in apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Patrum, dissert. 2. de omnibus Clementis Alexandrini operibus (a), & ut prudenter advertit Facundus Herminianensis lib. 9. defens. 3. cap. 5. apud Petayum, & Lambertinum (b); Patrum scripta, quoad ejus fieri potest, benigne interpretanda sunt: ideo dicimus cum Doctissimo Gravesono, & aliis, Clementem nihil aliud velle, quam Christum famisci, aliquis id genus naturæ humanae affectionibus, nulla necessitate fuisse obnoxium, sed voluntarie, & libere illis subditum esse. (c)

14 Auctoritas Divi Hilarii, multis ab hinc saeculis

Theo-
(a) Vid. Bibliogr. critic. tom. 4. pag. 28. in fin. &c. pag. 301. (b) Vid. Pe-
tavius tom. 1. Theolog. dogmat. in prologomen. cap. 2. num. 8. & Lam-
bertin. lib. 2. de Beatific. SS. cap. 28. num. 8. (c) Vid. Graveson tom. 2.
de Myst. Christ. dissert. 5. 1. in solutione objectionum. pag. miii 45. Gott.
Berti, & alii. Sed fortasse prima responsio verior est, Gelasium scilicet
apocrypha declarasse Clementis opera, quia erroribus sunt aspersa, ut
observat doctissimus Pontifex Benedictus XIV. in prefat. ad novam Ma-
tyrologii editionem num. 29.

Theologorum ingenia torquet. Pro cuius solutione, triplicem adducit responsum Doct. Seraphicus in 3. dist. 16. art. 1. quæst. 1. his verbis; „Ad illud ergo quod primo objicitur de auctoritate Hilarii, tripliciter respondendum est. Quidam enim dicunt, Hilarium verba illa retractasse. Unde audivi Parisiensem Episcopum Guilielmum referre, se librum illius retractationis vidisse, & perlegisse. Alter potest dici, quod Hilarius in verbo prædicto, & in aliis ibidem positis, non excludit sensum doloris à Christo, secundum humanam naturam, sed secundum divinam. Unde verba illa referenda sunt ad Christi personam. Et hoc quidem confirmatur, quia sicut dicit idem Hilarius, intelligentia dictorum, ex causa est assumenda dicendi. Hilarius enim in verbis præmissis excludere voluit errorrem Arii, qui dicebat Christum secundum se totum fuisse passum. Tertio modo respondetur, quod Hilarius non vult ostendere Christum non habuisse verum dolorem, sed non habuisse causam doloris: & hunc quidem modum solvendi innuit Magister in littera, & satis est rationabilis, sicut in expositione litteræ melius apparebit.“ Hæc Divus Bonaventura.

15 Postiores responsiones magis placent, quam prima asserens retractationem Hilarii. Quamvis enim inde non minueretur ejus auctoritas, sicut non minuitur auctoritas Augustini, quod librum retractationum edidierit; nec Angelici Praeceptoris, qui in summa Theologia, quasdam etiam opiniones alibi tradidit retractavit; & idem de aliis viris ingenuis, & amantibus veritatis; nulla tamen retractatio est alicui tribuenda, nisi certo constet; cumque non certo constet Hilarium confessisse ullum retractationum librum; verosimile est, illum quem vidit Guilielmus Parisiensis, fuisse à pravis hominibus maligne confictum; quemadmodum male feriti quidam, ficticias palinodias, falsasque retractationes, jam pridem sparserunt, mentitis nominibus Sanctorum Patrum,

trum, ut refert Theophilus Raynaudus tom. 11. erōtemat. 10. §. 1. num. 178. pag. 265. & nostro etiam, seculo plurimæ prodierunt sub nomine celebriorum viorum, quos referre non est necesse. Præterea Divus Hieronymus epist. ad Latam aperte testatur, libros Hilarii posse sine offensione legi. Quænam ergo necessitas retractandi tales libros? Hec ad vindicandum Hilarium dicta sunt, eti plures habeat doctissimos vindices, quos inter Philippus Abbas bona spei, Patres Maurini, & alii (a), sed à diverticulo ad viam.

16 Tertio paragrapho ait Catechismus, ideo tam diligenter expressum esse, sub quo Judæa Praside passus sit Redemptor noster, ut cognitio rei adeo necessaria omnibus innotesceret. Quemadmodum ergo Lucas in Evangelio narrat sub quo Imperator natus fuerit Christus, dicens: *Exiit editum a Cæsare Augusto, &c.* & Matthæus cap. 2. scribens: *Cum ergo natus esset Jesus in diebus Herodis Regis; ita etiam Apostoli in Symbolo, & Paulus ad Corinthios 6. vers. 13. annotarunt quo tempore Dominus passus fuerit; non quidem ad honorandum Pilati nomen, sed ad historiæ certitudinem, temporumque cognitionem, ut Augustinus bene advertit. (b) Unde Chrysologus serm. 57. in Symbolum Apost. ait: „Audiis judicis nomen, ut tempus etiam „passionis agnoscas.“ Hinc satis aperte liquet, quantum Theologis rerum gestarum notitias prospicit, quod sapienter ostendit doctissimus Canus toto libro undecimo de locis, cuius haec verba ex cap. 2. digna sunt, quæ audiantur: *Omnes docii consentiunt, rudes omnino Theologos illos esse, in quorum lucubrationibus historia muta est.* Verum licet historia omnibus fere Theologicis questionibus apprime deserviat, maxime, tamen huic qua*

(a) Vid. Tournely tom. 4. quest. 10. art. 6. pag. 334. Bertii tom. 3. lib. 26. cap. 7. pag. 38. & alii. (b) August. lib. de Fide, & Symbolo cap. 5. & ter. 131. atque 181. de temp. sive quisquis eorum est Auctor.

qua de agimus in præsenti, tum ad revincendos Judæos, tum ad debellandos Gentiles, tum ad confutandos Hæreticos, tum denique ad instruendos fideles, ne umbram habeant pro Junone, hoc est, falsas, dubiasque narratiunculas pro certis, & indubitate historiis; ideoque consulendi sunt docti, critici, prudentesque Autores, inter quos videri possunt Tillemontius, Calmetus, Serrius, Sandinus, Gravesonus, Bertius, Benedictus XIV. & alii ab eisdem citati.

17 Tempus igitur, quo Pontius Pilatus pro Tiberio Cæsare Judæam administrabat, est memorabilis epocha passionis Christi Domini; quam Provinciam decem annos administrasse Pilatum, constat ex Josepho lib.

18. antiquitat. cap. 5. *Erat autem Pilatus pervicaci ingenio*, ut ait Philo in legatione ad Cajum, cuius crimina detegit, venditas sententias, rapinas, injurias, clades, tormenta, cædes indemnatorum, crudelitatem sevissimam (a). Hic ergo nequissimus Judex, quinto administrationis anno, sententiam tulit in Christum. Quamvis enim Chrysostomus orat. de eleemosyna, & Lactantius lib. 4. institut. cap. 18. teneant, Pilatum absque prolatione sententia tradidisse Christum Judæis; contrarium tamen colligitur ex Scriptura. Dicitur enim Luca 23. v. 24. *Pilatus adiudicavit fieri petitionem eorum; & quidem sedens pro Tribunali*, ut est apud Joannem cap. 19. v. 13. *Judei quippe fatebantur Joannis 18. v. 31. Nobis non licet occidere quemquam.* Quod etiam prædicterat ipse Christus Matth. 20. v. 19. Verbis à Catechismo citatis, dicens: *Tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Et hæc est communis sententia Patrum, Theologorum, Interpretorum, quam etiam tradit Cornelius Tacitus in Annalibus lib. 15. cap. 44. de Religione Christiana dicens: „Auctor ejus nominis Christus, Tiberio Im-

Tom. I.

Y

„pe-

(a) Vid. Graveson t. 2. de myst. Christi dissert. 15. §. 2. pag. 240.

„peratore, per Procuratorem Pontium Pilatum, super plico affectus erat.“ Duabus itaque de causis ponitur in Symbolo: *Passus sub Pontio Pilato*: tum ratione temporis, tum ratione iniquæ Pilati sententie. Quare cachinnis dignus est vanissimus labor Joannis Stelleri defendantis Pilatum, Danielis Maphanafis eum confutantis, & Christiani Thomasii, tempus in idem paradoxum insumentis; quorum opera conjunctum Lipsia prodierunt anno 1676. O curas hominum, quantum est in rebus inane! Diceret iterum Persius.

18 Hic plurima possem addere scitu digna de actis Pilati ad Tiberium missis, de testimonio Josephi Hebraeorum doctissimi, deque aliis ethnicorum scriptis, quibus confirmatur veritas passionis Christi, & ejus divinitatis signa monstrantur; sed brevitas temporis in eis immorari non sinit. Solum obiter dicam, Pilatum re vera scripsisse ad Tiberium Cæsarem, quæ de Christo evenerant memoranda, utrum nime genuina non extent hujusmodi acta. De illis enim fidem faciunt antiquissimi Scriptores, Tertullianus in apologetico adversus Gentes cap. 5. Justinus Martyr. Apolog. 2. ad Antoninum Imperatorem. Eusebius Cæsariensis lib. 2. hist. cap. 2. Chrysostomus hom. 26. in epist. 2. ad Corinth. Hegesippus, Paulus Orosius, Gregorius Turonensis, alii; quibus consentiunt recentiores critici, etiam heterodoxi, ut Isaac Casaubonus, Guilielmus Cave, Joannes Pearson, Hugo Grotius, Isaac Vossius, Antonius Vandale; contra Tanquamum Fabrum, Samuellem Basnagium, & Joannem Clericum acatholicos, atque Dupinum ex nostris, qui nodum in scirpo quaerunt; quorum nunc non vacat exsuflare cavillos. Videantur Serry, Honoratus à Sancta Maria, Berti, & plures alii (a). Manet adhuc exponentius quartus Catechismi paragrapthus, sed quia nimis immorati sumus in

(a) Vid. Berti tom. 3. lib. 25. cap. 10. arg. 7. pag. 23.

in præcedentibus, id in tertiam partem rejicimus, jam enim dicta sufficiunt pro secunda.

19 Ad tertiam igitur deveniamus, in qua probanda est hac conclusio: *Conveniens fuit Christum subire supplicium crucis*. Ita docet Catechismus hic §. 4. & Angelice manifestat Divus Thomas 3. p. q. 46. art. 4. tum in argumento, sed contra, Apostoli auctoritate ad Philippenses 2. v. 8. dicens: *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; tum in corpore articuli, septem optimis rationibus ibi fusa videndi. Probavit breviter conclusio variis congruentiis Sanctorum Patrum, ipsis Angelici Præceptoris, & Catechismi Romani. Primo, quia ut eleganter ait Lactantius lib. 4. divinarum institutionum cap. 26. Christus humilis advenit, ut humiliis, & infirmis opem ferret, & omnibus spem salutis ostenderet; sique conveniebat eo supplicii genere mori, quo humiles, & infelicissimi solent, ne quis esset omnino, qui eum non posset imitari. Secundo, Christus crux maluit, ut illa exaltatus, omnibus gentibus innotesceret; qui enim patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus, & ceteris altior. Tertio, quia sicut Adamus in Paradiso terrestri contempsit Dei mandatum, excerptendo ex arbore pomum, ita Christus in cruce positus, tanquam fructus vite, peperit ex arbore; & quidquid primus homo per inobedientiam rapuit, iste per obedientiam restituit, ut sic unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, ait rectissime Catechismus, & habetur in præfatione de cruce. Quod etiam pulchre declarat Ambrosius enarratione in Psalm. 35.

20 Quarto, quia Christus cruci affixus, æra, & terram, stillanti sanguine, mundavit, nosque in Coelum traxit, non solum gratia sua, sed & exemplo; quoniam ut Augustinus observat, tractatu 119. in Joannem: *Lignum in quo fixa erant membra Christi patientis, fuit cathedrali Magistri docentis*. Quinto, Christus mortem

crucis elegit, quia forma crucis duabus potissimum dimensionibus constat, longitudine scilicet, & latitudine, quibus significabatur fore, ut virtus crucis ad omnes omnino homines, ad omnium locorum latitudinem, ad omnium temporum longitudinem diffunderetur. Denique, Christus mortuus est in cruce, ut plurimas impleret figuram miraculorum, quæ in veteri lege Deus per lignum fieri voluit, ut per virginem Moysis tot mirabilium instrumentum, per serpentem ænatum in sublimi ligno positum, & alias, quibus crux ipsa designabatur, per quam velut per infirmum, & ignobile instrumentum, Christus fortia queaque confudit, humanam sapientiam domuit, diabolum exarmavit, unius Dei religionem totum per orbem extendit, & homines terrenis sordibus affixos, ad coelestium bonorum meditationem revocavit.

21 His de causis, Christus servator noster voluit in cruce mori, noluit ut sibi caput amputaretur, sicut Joanni Baptista, nec ut medius scinderetur, sicut contigit Isaiae, nec ut crura sibi frangerentur, sicut alii secum cruci affixis; sed corpus suum integrum, & indivisum servavit, ut vaticinium adimpleret, & Ecclesiam, quæ est corpus ipsius mysticum, semper integrum, atque individuum fore significaret. Noluit comburi sicut holocausta; illorum tamen in hoc implevit figuram, quod uti ea in veteri lege altari ligneo imponebantur; sic & corpus ejus, altari crucis impositione est, & vice ignis corporei, quo comburebantur holocausta, fuit in eo ignis ardentissimæ caritatis. Crux igitur Christi perfidus Iudeus *scandalum*, ignarisi gentibus *stultitiam*, & malignis hereticis, velut demonibus, horror; nobis Dei virtus est, & sapientia; immo, & nostræ Religionis tessera; quia per crucis sacrificium veritatis lux, & veri Dei fides toti orbi affulxit, superstitionum colluvies exhausta est, errorum, & vitiorum abolita contagio, genus humanum Deo reconci-

ciliatum, et Deus ipse propitiatus. Hinc merito celebret Ecclesia festa Sanctæ Crucis, observatur antiquissima consuetudo crucem digitis efformandi, & frontem consignandi; ut per hoc signum, ad gratiam memoriam mysterii, atque beneficii, quod nobis in cruce peractum, ac amplissime donatum est, excitemur; nullaque unquam oblitus deleatur; ob idque nullum Sacramentum in Ecclesia Christi sine figura crucis administratur. Unde Tertullianus lib. de Corona militis, hujus signationis consuetudinem tam usitatam scribit, ut omnes Christianorum actiones, ac cogitationes praæret, ac veluti consecraret. Videatur D. Thomas 3. p. q. 25. art. 4. S. Franciscus Salesius in lib. de hoc argumento. Selvagius de antiquit. Eccles. t. 2. lib. 2. p. 2. cap. 10. §. 4. à num. 25. pag. 309. Tourney, Gotti, Berti, Billuart, aliis.

PRÆLECTIO XIII.

De morte, & sepultura Christi.

ad expositionem cap. 5. primæ partis Catechismi Concilii Tridentini à §. 6. ad 8.

1 Magna profecto fuit Dei erga homines misericordia, & inexplicabilis caritas. Cum enim posset teste Apostolo, universum genus hominum in massa perditionis relinquere; cum posset, teste Nazianzeno, absque Filii passione nobis peccata dimittere; cum posset, teste Athanasio, perditum heminem, absque unigeniti sui morte, solo verbo, aut nutu in gratiam reducere (a); ad majora tamen ardentissimi amoris signa monstranda, Filium suum mittere voluit, ut factus in

(a) Vid. Theophil. Raynaud. tom. 1. lib. 3. cap. 3. u. 84. pag. 256. & aliis.